

SEM. unicum, depressum, spirale.

Color Foliorum incano-sericeus; Ramorum lutescens, sæpius eleganter Salicum more rubeus; Calycis herbaceo-pallidus. Floret autumno.

Sub florescentia non tantum qua Calycem & florem, sed & qua totam faciem Chenopodio valde est similis. Calyx depressus, alæ fructus non incumbentes & flores glomerati absque bracteis interstinctivis huic speciei singularia sunt; hinc a priori vulgari specie notabiliter differt.

19. **SALSOLA** *Souda* diffusa herbacea, foliis teretibus, floribus conglomeratis.

Salsola fativa. *Cæsalp.*

Kali hispanicum supinum annuum, sedi foliis brevioribus.

Jussieu. act. 1717. p. 74. d. b.

Kali minus alterum *C. Baub. pin. 283. 3?*

Habitat per Regna Valentiaë, Murciaë, Granatæ circa Almeriam & Alicante copiose, ubi pro Souda seritur in agris marinis.

Radix annua, fibrosa.

Caules ramosissimi, undique diffusi, subangulati, glabri sublignoso-herbacei, ramis & ramulis alternis, simplicibus; succulentis.

Folia alterna; succulenta; teretia, obtusa vel acumine fetaceo obscuro minimo terminata, undique teretia, æqualia, superius linea longitudinali fusca picta (non tamen sulcata), patentia, vix ungue longiora: infima basi latefcunt, interius basi plano-concava.

Flores sessiles, axillares, conglomerati: glomeribus crassis, brevibus, fastigiato-truncatis, multifloris, compositis ex glomerulis binis, oppositis, lateralibus cum flore intermedio in media ala folii; glomerulus singulus lateralis subtriqueter: primis ad primam bracteam &c. sicque sæpe 9. 11. 13. flores singulo glomerulo adfunt.

Bractea floribus longiores, crassæ, succulentæ, apice obtusissimo, interdum acumine fetaceo brevissimo terminatæ, basi lato-concavæ ob flores & bracteas interiores.

CAL.